

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

39. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius appellationis, quam nuncupant *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

42. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22. Augusti 1851.

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solennes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali*, 1 Novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali*, 1 Novembris 1850. Alloc. — *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christiana alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in gradu collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali*, 1 Novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 Septembris 1851.

46. Imo in ipsis Clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 Iulii 1864.

48. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica Fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 Iulii 1864.

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

50. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procuracionem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

51. Imo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Iunii 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

52. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis Familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

53. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem Familias, perinde ac collegiatis Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Probe memineritis* 22 Ianuarii 1855. — Alloc. *Cum saepe*, 26 Iulii 1855.

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplikes inter*, 10 Iunii 1851.

55. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

58. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt; et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863.

59. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

61. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Iamdudum cernimus*, 18 Maii 1861.

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant *de non interventu*.

Alloc. *Novos et ante*, 28 Septembris 1860.

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc.

Quisque vestrum, 4 Octobris 1847. — Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849. — Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 Martii 1860.

64. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelestae flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud

est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus effe-
renda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

§ VIII.

Errores de matrimonio christiano.

65. Nulla ratione ferri potest, Christum exuisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

66. Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

67. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi; sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplikes inter*, 10 Iunii 1851.

69. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

70. Tridentini Canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

71. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter

christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna, 9 Settembre 1852. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de Clericorum caelibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confo-diuntur prior in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1849: posterior in Litt. Apost. *Multiplies inter*, 10 Iunii 1851.

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

75. De temporalis regni cum spirituali comparabilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 Maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 Martii 1860; in Alloc. *Novas*, 28 Septembris 1860; in Alloc. *Iamdudum*, 18 Martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iunii 1862.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

77. Aetate hac nostra, non amplius expedit Religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum*, 26 Iulii 1855.

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

79. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Numquam fore*, 15 Decembris 1856.

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Iamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

ADDENDA

Ex ENCYCLICA PII IX, *Quanta cura*.

Praeter praefatas propositiones, aliae memorandae sunt quas in Encyclica *Quanta cura* confixit Pius IX. Eae porro sunt hominum qui docent:

1° Optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad Religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

2° Optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnosceatur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae Religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3° Libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari et asserti debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coaretandam, quo suos conceptus quoscumque manifestare ac declarare valeant.

4° Voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam; et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habere.

5° Auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem qua *elcemosynas christianae charitatis causa palam erogare valeant*, ac de medio tollendam legem qua *certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur*.

6° Societatem domesticam seu familiam totam suae existantiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis educationisque curandae.

7° Clerum, utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum.

8° Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; — acta et decreta Romanorum Pontificum ad Religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; — Constitutiones Apostolicas quibus damnantur clandestinae Societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae, et fautores anathemate muletantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; — excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; — Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; — Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi: — conforme esse sacrae Theologiae, iurisque publici principiis, honorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere et vindicare.

9° Ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis.

10° Illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura.

De quibus propositionibus sic statuit Pontifex:

« Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce
« Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica *reprobamus, pro-*
« *scribimus* atque *damnamus*, easque ab omnibus Catholicae Ecclesiae
« filiis veluti reprobatas, proscripitas atque damnatas omnino haberi
« volumus et mandamus ».

DECRETUM

QUO DAMNANTUR PLURES PROPOSITIONES EX OPERIBUS NUPER

EDITIS SUB NOMINE ANTONII ROSMINI SERBATI

Ill. me ac R. me Domine

Hisce adiunctum litteris transmittitur ad Amplitudinem Tuam decretum generale, quo Suprema Congregatio Eñorum Patrum una mecum Inquisitorum Generalium, adprobante et confirmante SSmo Domino Nostro Leone XIII, plures propositiones ex operibus, quae sub nomine Antonii Rosmini Serbati edita sunt, damnat et proseribit. Quapropter excitatur pastoralis cura et vigilantia Amplitudinis Tuae, ut a damnatis huiusmodi doctrinis oves fidei tuae concreditas quam diligentissime custodias; ac si qui forte sint in ista Dioecesi qui illis adhuc faveant, eos ad S. Sedis iudicium docili animo recipiendum inducere studeas. Praecipue vero eniteris, ut mentes adolescentium, eorum praesertim qui in spem Ecclesiae in Seminario aluntur, germana catholicae Ecclesiae doctrina e puris fontibus sanctorum Patrum, Ecclesiae Doctorum, probatorum auctorum, ac praecipue Angelici Doctoris s. Thomae Aquinatis hausta imbuantur.

Tibi interim fausta omnia ac felicia precor a Domino.

Datum Romae die 7 Martii 1888

Addictissimus in Domino
R. CARD. MONACO.

Feria IV, die 14 Decembris 1887.

Post obitum Antonii Rosmini Serbati quaedam eius nomine in lucem prodierunt scripta, quibus plura doctrinae capita, quorum germina in prioribus huius Auctoris libris continebantur, clarius evolvuntur atque explicantur. Quae res accuratiora studia non hominum tantum in theologicis ac philosophicis disciplinis praestantium, sed etiam Sacrorum in Ecclesia Antistitum excitarunt. Hi non paucas propositiones, quae catholicae veritati haud consonae videbantur, ex postumis praesertim illius libris excriperunt, et supremo S. Sedis iudicio subiecerunt.